



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Antonii Svcqvet E Societate Iesv Via Vitæ Æternæ**

**Sucquet, Antoine**

**Antverpiae, 1630**

Cap. 9. de peccato veniali

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54856)

perium, nisi simul laudem venetur, vel aliud quidpiam, magnanimitate opus est: illa enim hominum servire vanis iudiciis ac suspicionibus, aliis que esse obnoxium, & ab iis emendicare pretio summo Christianæ libertatis, non permittit.

*Magnanimus contemnit iudicia.*

Quartò, Sanctis in more fuit positum, nonnulla facere quæ irritare linguas, & eos despectos reddere possent, nullâ tamen iustâ occasione datâ, atque in eo imitari illos oportet, si ad perfectionis bravium contendere velimus, & ad pacem atque animi tranquillitatem pervenire. *Dignatus es, ut supra pag. 10.*

IACVLATORIÆ.

**M**ihi pro minimo est ut à vobis iudicer, aut ab humano die. 1. Cor. 4.

Feci iudicium & iustitiam, non iradas me calumniantibus me. Psal. 118.

Iudica me, Deus, & discerne causam meam de gente non sanctâ, & ab homine iniquo & doloso erue me. Psal. 42.

Diem hominis non desideravi, tu scis. Ierem. 12.

CAPVT IX.

*Meditatio de alio impedimento progressus peccato veniali.*

Oratio præparatoria, ut supra.

**C**OMPOSITIO LOCI, considerare animam, & te totum velut leprâ opertum imperfectionum coram Deo, & curiâ illius universa.

ORATIO, ut supra.

**PUNCTVM I.** Considera vitam ætam, & quàm multa peccata & defectus admiseris. Primò, circa vitæ tuæ institutum. Secundò, si religiosus sis, circa vota & Regulas, in mortificatione, in modestiâ. Tertio, in oratione & usu Sacramentorum. Quartò, in operibus tuis etiam ex obedientiâ factis. Quintò, in conversatione quotidianâ: & contere ex toto corde, & humilia spiritum tuum valdè. nihil enim esse videbis aliud iustitiam tuam, quàm velut pannum menstruatæ. *Quis cognovit, ut infra pag. 246.*

*Examē sibi.*

**PUNCTVM II.** Considera gravitatem peccati venialis. Primò, eò quòd summum Deum offendat, &

Q<sub>2</sub> sanctum



*Ephes. 4.  
Peccati veni-  
alibus gravi-  
tatis.*

*Ser. 1 in con-  
vers. S. Pauli*

*Hier. epist. ad  
Iul.*

*Eccles. 19.  
Minima vi-  
tandis,  
de ord. vite  
ad Fratres.*

*Minora pec-  
cata gravio-  
ribus ali-  
quando peri-  
culosiora.*

*Iosue 2.  
Act. 5.*

sanctum Spiritum contristet, adeo ut, si totus mundus posset salvari uno peccato veniali admissio, non esset faciendum quod, eheu! toties tam levi causa perpetrasti. Secundum, ex multitudine beneficiorum Dei. Tertium, ex eo, quod in baptismo, & magis Religione quisque consecratur Deo. Quartum, ex multitudine auxiliorum in eam. unde Bernardus: Non est magnam, dicit, si in his maneam venialibus minimisque peccatis: haec est, inquit, dilectissimi, impoenitentia, haec blasphemia in Spiritum sanctum, blasphemia irremissibilis. *Haecine vera*, ut supr. pag. 7.

PUNCTUM III. Considera quae danna adferat. Primum, et si gratiam non adimat, tamen tardat in via virtutum, & molestam facit. Secundum, omnes virtutes obscurat, sponsam Christi animam foedit, & fervorem minuit. Tertium, desolatione gravi afficit, mœroribus, & scrupulis saepe ad plures annos. Sic soror Petri Damiani sedecim annis ob curiositatem afflictam fuit. Quartum, quia consolationis spiritualis incapaces reddit, ut nec saecularia, nec religiosa gaudia habeat; cum nemo possit hic implere vœtem, & ibi mentem. Quintum, quia exponit nos gravibus periculis peccati mortalis; nam ut Aug. timenda ruina multitudinis, si non magnitudinis, secundum illud, Qui spernit modica, paulatim decidet. Unde & Bernardus, Més Deo dicata sic caveat minora vitia, ut majora. Quid interest enim si fluctu magno an guttis plurimis per sentinam mergaris? quibus scilicet vires anime contabescunt, ut sic in mortalia facile homo labatur. Imò ut Greg. nonnumquam in parva deterius, quam in majori culpa peccatur: major enim quod citius, quia sic culpa agnoscitur, eo etiam celerius emendatur; minor vero, dum quasi nulla creditur, eo pejor est, quo & securius in usum retinetur. Sextum, considera omnia magna ex parvis necessario perdere: sic orator etiam syllabas, & interpunctiones observat. Septimum, saepe apud Deum magna esse, quae nostro iudicio parva sunt ut in colligente ligna, Num. 5. Acham, Moysse dubitante, Num. 20. Heli, 1. Reg. 3. Anania



nanâ, & Saphirâ, in iis qui opera misericordiæ omiserunt, Matth. 26. O anima, ecquid est in orbe tibi tam charum, quod ad tanta incommodate impellat? *Hæcine firmâ fide, ut supr. pag. 8.*

PUNCTVM IV. Considera, quanto offendiculo proximo sint & impedimēto peccata venialia. Nā omnem auctoritatem tollunt, etsi parva sint, & magnas etiam res impediunt: dum alii mirantur eum qui toties communicat, confitetur, orat, psallit, & si Religiosus, omnia deseruit, in minutis istis hæere, quæ ipsi sæpè, etsi minùs id profiteantur, superant. Et sanè dolendum tanta hominem fecisse, ut Deo frueretur, maximè si in Religione, & tantilla impedimenta non tollere; tantum fodisse ut aquam inveniret, & jam desistere. Secundò, etiam talis offendit sæpè totam communitatem, dum tali vitio pravas inducit consuetudines, quas postea nulla quandoque illius, qui præest, industria valet corrigere. Tertiò, vide ut Sancti etiam minima vitarent & castigarent, ut Eusebias apud Theodoretum, &c. *Quis cognovit, ut infr. pag. 246.*

*Triste venialia non declinare.*

PUNCTVM V. Considera, servile valdè esse peccata venialia committere. Hoc enim perinde est, ac si dicas, illud non est vetitum sub pœnâ capitis, ergo libet, & licet offendere: contrâ, filiale etiam minima vitare, quod Deo ita gratum, ut talem præferat mille aliis justis, ut in Antonio, Job, Abraham patet. Talem enim virum quærit Deus, qui interponat sepem, & stet oppositus contra se pro terrâ ne dissipet eam. Vide ad quanta Deus talem minima vitantem elevet, ut contrâ alios tepidos scrupulis & tentationibus castiget. Qui enim non cooperatur parvæ gratiæ, indignus est majori; eaque ob teporem illi negatur. Peccata enim sive parva, sive magna, impunita esse non possunt; quia aut homine pœnitente, aut Deo judicante plectuntur hîc, vel post hanc vitam igneo flumine expiantur. Age, dic quo precio vivus exuri velles? nullo, inquis,

*Ezech. 22. Servile venialia non declinare.*



Isaia 5.

& tamen quotidie ob vanitatem, &c. huic periculo te exponis. Vigetur qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustrum peccatum. Ideoque propone diligentissime examen generale facere, ut puritatem conscientiae adipiscaris.

## Oratio pro detestatione peccati venialis.

Iob 11.

**Q**uis cognovit sensum tuum, Domine, & quis consiliarius tuus fuit? verè iudicia tua abyssus multa, inscrutabilia iudicia tua, & incomprehensibilia cogitatu. Excelsior caelo es, & quid faciet homo profundior inferno, & unde cognosceret? longior terram mensura tua, & latior mari. Si subverteris omnia, vel in unum coarctaveris, quis contradicet tibi, vel quis dicere poterit, cur ita facis? Ecce, tu Deus, excelsus in fortitudine tua, & nullus tibi similis in legislatoribus. Quis poterit scrutari vias tuas, aut quis audebit dicere tibi, operatus es iniquitatem? Toties promiseras Israëlitis terram lacte & melle manantem, & duo tantum (obstupescite cali & terra) Caleb & Iosue in eam pervenerunt, etsi omnes pasceres pane cali in deserto, & vestes eorum servares. Moyses amicus tuus erat, & facie ad faciem ei loquebaris, & deprecante illo impij conciliabantur tibi; & ecce, hesitavit ad aquas contradictionis, & non potuit ingredi terram promissionis. Gedeon fortissimus post victorias per te parvas factus populi salus fecit sibi Ephod, & factum est ei & domui eius in ruinam. Sampson de sterili conceptus, liberator populi sui, quomodo à te abiit & recessit, & factus est opprobrium inimicis suis? Filij Israël Beniamitarum scelus ulturi iussu tuo iverant, & ecce casi fugatiq; aliquoties fuere. Saule non erat melior in populo, & quomodo ob superbiam projectus à te? David vir secundum cor tuum, quomodo cecidit, & Salamō amabilis Domini filius eius? Nōne & Leo prophetam deceptum occidit? Iosias dilectus tuus perrexit ut dimicaret contra Nechao & periit? Quis horū casus varios & ruinas non obstupescet? Quis appendere valebit delicta eorum, aut intelligere iudiciū tuum? Ideo ego humilio me sub potenti manu tuā, & rogo te, ut ab occultis meis, & parvis & ma-

Exempla varia.

Actus humiliatiōnis

gnis



gnis mundes me, & ab alienis parcas servo tuo, minimo servorum tuorum.

Parce, Domine, parce, & non intres in iudicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Quid enim modicum est forsitan? sed qui contemnit modica, paulatim decidit; & quis cognovit iudicium tuum? Ecce in pigritis humiliabitur contignatio, & stillicidia eiciunt hominem in die hyemali de domo sua. Ita, Domine, te quoque vereor, eheu! è domo tua id est, corde meo; cum eum qui neque frigidus neque calidus est, evomas ex ore tuo. Sed veni, obsecro, hodie, veni, & cor contritum & humiliatum ne despicias, etsi iudicia tua abyssus multa, tamen misericordia tua super omnia opera tua. Ad hanc cõfugio, & gemens, ac dolens, speransq; in te dico coram curia tua, in te cantatio mea semper, tamquam prodigium factus sum multis, & tu adiutor fortis. Miserere anima quarentis te, & amanti, & suspirantis ad te, & non confidentis nisi in infinita misericordia tua Amen.

Eccl. 15.

Prov. 17.

Applicatio  
ad Com-  
munionẽ.

Fiducia in  
Deo.

### Praxes.

1. Si sapias, nihil aestima parvum, quo scis magnum, imò ter maximum & optimum Deum offendi. Omne Deũ  
offendens  
magnum.
2. Cum venialia ferè in bonis ex inadvertentiã contingant, vide ut nihil præcipitanter agas, sed consideratè. Circũspectio  
est necessaria
3. Præsentiam Dei mordicus retine. Dei præsen-  
tia.
4. Imitare Eremitam illum, & studiosè aliquam etiã levem imperfectionem sume, & laboriosè oppugna, ut vigilantia hæc in parvis acuat animos ad majora, & divertat hostem à mollestiore & periculosiore certamine. In levibus  
vigila.
5. Confitere accuratè etiam minima exemplo Sanctorum non scrupulosè, sed ex amore. Cõfessio mi-  
norum  
etiam aliis  
viã obstruit.

### IACVLATORIA.

- I**N me transferunt ira tua, & terrores tui conturbaverunt me. Psal. 87.  
 Confige timere tuo carnes meas, à iudiciis enim tuis timui. Psal. 118.  
 Quis novit potestatem ira tua, & præ timore tuo iram tuam dinumerare? Psal. 89.  
 Iusticia & iudicium preparatio sedis tue, misericordia & veritas præcedet faciem tuam. Psal. 88.